

## No. 650. 1377. 27. Juni.

*K. Karl IV. bedroht auf Grund eingegangener Beschwerde Fürsten, Grafen, Herren und Städte der Magdeburger Kirchenprovinz, welche die Geistlichkeit in ihren Gütern, Erwerbungen, Rechten und Freiheiten beeinträchtigen und schädigen, mit namhafter Strafe und erklärt alle in diesem Sinne bestehenden Einrichtungen und Vorschriften für nichtig.*

In nom. s. et ind. tr. feliciter amen. Karolus quartus divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus et Bohemiae rex ad perpetuam rei memoriam. Etsi imperialis benignitatis clementia quorumlibet devotorum fidelium, quos sacrum Romanum ambit imperium ex officii debito teneatur necessitatibus et iniustis oppressionibus consulere et de oportunis remediis providere, ad illos tamen permaxime dirigitur nostrae mentis affectio, quos indebite pati cognoscimus, quorumque oppressionibus status ecclesiasticae libertatis, quem semper nostris temporibus augeri volumus, nonnihil minuitur et minus debite praegravatur. Sane ad imperialis maiestatis audientiam pro parte honorabilium praepositi, decani et aliorum praelatorum, canonicorum et capituli Magdeburgensis ecclesiae, devotorum nostrorum dilectorum insinuatione querulosa suppliciter est deductum, quod saeculares quidam in potestatibus et officiis publicis constituti videlicet duces comites barones et alii domini temporales, nec non consules civitatum oppidorum villarum et locorum rectores dictae Magdeburgensis provinciae, dei timore postposito statuta singularia et iniquas ordinationes motu proprio et de facto contra personas ecclesiasticas, ecclesiarum libertates et privilegia condiderunt, eisque publice et de facto insistere praesumpserunt contra legitimas civiles et canonicas sanctiones, ut puta quod nulla bona temporalia in potestatem ecclesiasticam transferantur, neve clerici in sacris constituti ad agendum et testificandum in civilibus et maxime in piis causis aliquatenus admittantur, quodque excommunicati laici et publice denunciati in civili foro minime repellantur. Item praedicti domini temporales consules et rectores per secularem potestatem res et bona clericorum occupant et arrestant, oblationes fidelium diminuunt et restringunt, exactiones et tallias indebitas de bonis et redditibus ecclesiae exigunt et extorquent, possessiones ecclesiae et personarum eorundem devastant incendiis et rapinis, contractus inter clericos et laicos factos legitime ad libros civitatum, villarum et locorum recusant inscribere et sigillare, donata et legata ad fabricas et ecclesiarum structuras contra praelatorum voluntatem et aliorum quorum interest, praesumunt usurpare contra iustitiam in fraudem et odium clericorum, de bonis etiam et rebus clericorum quas non causa negotiationis, sed pro usibus propriis per terras ducunt seu duci faciunt, theloneum exigere et recipere non verentur, et confugientes ad ecclesias et cimiteria inde extrahere contra sanctiones imperiales praesumunt. Quae omnia et quaelibet obinde secuta, cum per sacras, civiles et canonicas sanctiones expresse reprobata sunt et in fraudem ecclesiasticae libertatis de facto praesumpta, de principum ducum comitum baronum fideliumque nostrorum consilio ex certa scientia auctoritate imperiali cassamus, irritamus et annullamus, cassaque irrita et nullius esse momenti penitus dicimus et expresse pronunciamus, praecipientes sub indignatione